

\* \* \* NECROLOGIA \* \* \*

† R. P. Adolfus Brors (1862-1941)

*(Prov. Germ. Inf.)*

Hic dignus S. Alfonsi filius, de Alfonsiano Instituto egregie meritus, natus est 24 Aug. 1862 in Huckingen prope Duisburg ad Ruhrum, duodecimus filius Francisci Brors, multorum agrorum possessoris. Postquam cum fratre maiore Francisco, futuro Jesuita ac scriptore apologetico, sex classes gymnasii Duisburgensis absolvit et aliquamdiu mercaturaे se dedit, a genitore petuit licentiam ingrediendi statum ecclesiasticum et reli-giosum. Hic vero, ad filii vocationem probandam, eum prius iussit obire illum annum spontanei servitii militaris, ad quem Adolfus vi studiorum ius habebat. Obedivit filius patri, et per totam vitam erecto suo corporis habitu quidam praefectus militaris esse videbatur.

Expleto autem servitio militari obedivit quoque voci Dei ac tirocinium novum duce P. Augustino Niemann Epternaci perfecit una cum primis fructibus iuvenatus Vaalsensis: Matthia Meier, Iosepho Pickartz, Augustino Roeseling, Iosepho Gerichhausen, qui omnes postea Congregationis sodales optimi et utilissimi evasere. Ordinationem sacerdotalem hi quinque receperunt Dominica in Albis 24 Apr. 1892, et Luxemburgi quidem; quan-doquidem tunc Redemptoristis Germaniae aqua et igni interdictum erat.

P. Brors illa talenta, quae a Creatore receperat, per totam vitam fructificare fecit diligentia admirabili. Nemo eo ferventius secundum novitiatum peregit. Non erat ei vox praeclara et sonora; attamen eius conciones, bene elaboratae ac memoriae mandatae, tanto fidei spiritu prolatae ac numquam nimis longae, libenter audiebantur.

Praeterea Superiores Maiores mox in eo quoddam gubernandi charisma detexerunt. Iam a. 1898, ergo sexto post ordinationem anno, ei commiserunt difficilem rectoratum collegii Aquisgranensis, post suppressionem 25 annorum denuo aperti. Finito hoc primo triennio suscepit rectoratum collegii Trevirensis, ubi iuvenis Rector magna perfecit. Magnam S. Ioseph aedem insigni arte iuxta stylum Beuronensem depingendam curavit, omnia altaria innovavit. communitati pulchrum oratorium novum exstruxit.

Tertio triennio haud minore prudentia et operositate gubernavit domum Luxemburgensem, donec a. 1907 P. Generalis Raus eum, pleno suorum 45 annorum vigore gaudentem, universae Provinciae praefecit. Iam anno insequenti traeicit Oceanum, ut Vice-Provinciam ad fluminis La Plata ripas sitam visitaret. A. 1909 interfuit XIV Capitulo generali, mem-brum Commissionis de ministerio apostolico. Eodem anno duos primos Pro-vinciae Patres Romam misit ad novam Scholam Maiorem. Studia sibi vere

cordi esse monstravit exstructione magnifica bibliothecae Studentatus Geistingen aliisque rebus gestis. Item ei et P. Rectori Andreae Hülsmann (1) debetur nova magnaque fabrica, quae illis annis Glanerbrugi iuxta modestam domum primam a fundamentis excitata est, primario ut esset domus exercitiorum sacerdotibus et laicis dioecesium Monasterien et Osnabrugen., quamquam decursu temporis etiam aliis multis finibus inservitura erat.

P. Provincialis Brors, zelans honorem S. Clementis, a. 1909 canonizati, obtinuit ut eius festum ab omnibus dioecesibus Germaniae recipetur, et ut sanctus sodalis alter, post S. Ioseph, Patronus sodaliorum iuvenum opificum (*Gesellenvereine*) renuntiaretur. De S. Clemente etiam libellum publicavit late diffusum. Proinde dignus erat qui Vindobonae in primo Centenario beati obitus huius sancti Viri (1920) sollemne triduum praedicaret.

Interim tamen in nominationibus a. 1912, post visitationem extra ordinem a Pl. R. P. Ioanne B. Humbrecht factam, Provinciae regimen ad P. Franciscum Schneider transierat, de quo in superiore fasciculo, p. 108-112, et P. Brors iterum renuntiatus est Rector Aquisgranensis domus. Ut talis nova merita sibi acquisivit per exercitia spiritualia iuvenum, praesertim tironum ad militiam vocatorum (*Rekruteneexerzitien*). Viros in Congregatione Mariana congregatos sibi commendatos habebat qua Praeses ecclesiasticus. Tandem initio magni belli, cum in nostra domo nosocomium militare constitutum esset, nominatus est parochus stationis militaris loci (*Garnisonpfarrer*).

Diram dilectae patriae cladem eius cor amare vulnerasse obvium est. Eo libentius annis bellum insequentibus aggressus est duo magna opera pacis hodieum permanentia: foundationem scilicet duarum novarum domuum Germanie orientalis. Ac primum quidem a. 1923, ergo tempore pessimae inflationis, quae vocatur, in *Braunsberg* iuxta vetustum templum S. Crucis parvam, at commodam domum nostram a fundamentis erexit, adiutus utique ab amicis exteris. Simul septennio suae in *Warmia catholica* (*Ermland*) commemorationis filiis S. Alfonsi universalem cleri populi aestimationem et amorem conciliavit ac fundamenta iecit fecundi apostolatus. Ipse statim primo anno cum suo unico socio 34 labores maiores perfecit.

Deinde a. 1929 iussus est Berolini in *Marienfelde*, ergo in australi per magna civitatis plaga, novam domum novamque ecclesiam in S. P. N. Al-

(1) Vide *Analecta VIII* (1929), 125-131, eius necrologium.

fonsi honorem condere. Hoc quoque negotium perdifficile brevi tempore cum omnium admiratione ad felicem exitum perduxit. Proh dolor! sola ecclesia ex aëreis incursionibus ultimi belli incolmis evasit, nova autem domus funditus eversa est.

Ultimos vitae annos (1933-1941) carus senex Aquisgrani degit, verum minime otiosus. Saepissime in pulcherrima ecclesia, interim bello destructa, verbum Dei annuntiabat. Multorum, praesertim sacerdotum et virorum confessiones excipiebat. Tribus diversis locis omni mense clerum suis solidis conferentiis in spiritu innovabat. Ab Exc.mo Episcopo Vogt eiusque Auxiliario Sträter, qui permagni eius prudentiam faciebant, commissa recepit varia negotia delicata, ut visitationem conventuum dioeceseos.

Septembri 1935, ab Episcopo Enrico Müller invitatus, longin yuam Sueciam petiit clero exercitia traditurus. Festo Praesentationis B. M. V. eiusdem anni complevit 50 annos a nuncupatis votis religiosis, quod festuan singulari cum splendore celebratum est (1). Illo anno complures confratres ob « devisarum » processus in iudicium vocati et partim in carcerem coniecti sunt. P. Brors, ipse quoque custodiae iam destinatus, potuit clare ostendere suam innocentiam et in libertate relictus est. Nihilominus et ipse quodam modo est nazismi victima; nisi enim Hitler a. 1939 novum bellum incepisset, cuius sequelae etiam tot super Aquisgranum incursiones aëreae erant, ac nisi idem domum Aquisgranensem, Patri Brors adeo caram, d. 23 Maii 1941 per suos satellites suppressisset, hic senex robustae valetudinis probabiliter diutius resistere potuisset. Mortem pientissime obiit d. 4 Iunii eiusdem anni, fer. IV post Pentecosten, in quodam nosocomio Aquisgranensi, receptis cum plena conscientia ultimis sacramentis ac manibus comprimens suam dilectam crucem missionalem. Habebat 79 annos peregrinationis terrestris, 56 a. professionis, 49 a. sacerdotii, 33 a. praepositurae religiosae. Erat ultimus superstes numerosae suaefamiliae.

P. Brors non fuit aquila scientiae, sed anima apostolica, Alfonsiana, vel, si mavis, Clementina, columna Provinciae, decus Instituti, etiam extra nostram familiam valde aestimatus. In vita apostolatum et verbi calami diligenter exercitavit, quare post mortem, uti speramus, audire meruit illa dulcia verba: *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam...* (Mt. 25.21).

B. ARENS - C. HENZE

(1) *Nachrichten* 6 (1936), p. 60-62.